

Appendix. — Europa Nro. 55.

Regnum Mortuorum.

Litterae Familiares inter Vivos et Mortuos.

Officialis Militaris Confoederationis Rhenanae ad contin-
gentialem olim Germaniae Officialem in Elisium.

De Mundo 24. Junii 1808.

Bona nova, chare veterane Commilito! habeo tibi scri-
benda. Si adhuc vitales duceres aures, gratus tibi profecto
esset novus rerum ordo. Foedus Rhenanum, quod veteri
Germaniae successit, statum nostrum militarem elevavit,
Stamus sub protectione, et si dicere fas est, sub Imperiis
magni illius viri, quem Orbis stupet. In dies crescit ejus po-
tentia. Hispania accipit Regem fratrem rari hujus viri Jose-
phum, hactenus Regem Neapolis, per quod nostrae quoque
patriae nova accedit securitas, nova potentia.

Ab annis 50. dicit historia, vidimus statum Hispaniae
magis in diceriis fabularum obscuris, quam in vera sua
luce, unde in historia populorum enata est species lacunae;
opinio enim delirans Hispaniam modo regionem Dearum
fabulosarum, modo domum stultorum fingebat. — Modo
locum combustionis ad rogam damnatorum, Modo *Bontani-
Bay* europeum. Dies extremi iudicii, si tamen hoc ad hi-
storiam mundi pertineat, dejicit nunc muros, qui Iberiam
ante a terra materna separabant. Regio Hispaniae debuit di-
versos ab aliis formare homines. In Nova Castilia fervet
ab sole aer adeo tenuis, qui nec ardentem candelam extin-
guit, tanto frequentius autem enecat homines; Thermome-
trum Reaumurianum calida aestate ultra gradum 30. ele-
vatur; Valenciae, et Cartaginae Sol in pelle vesicas adtra-
hit; et in Andalusia nives sunt phaenomenon ignotum. Sol,
aer, vitae media producent certum gradum caloris vitalis,
maturitatem organisationis, ac plenitudinem temperantiae,
naturae, et virium, cui producendae Septemtrio non est,
quamve perfectionem in duriori suo climate nunquam asse-
quetur.

Licet aestum Julii et Augusti nec gutta pluviae tempe-
ret, est tamen Hispania, spectata ubertate terrae, vari-
etate, ac multitudine productorum, verus Paradisus. Quid
quid homo ut creatura indiget, prodiga nimis dispergit na-
tura manu, et in regionibus, quibus benignius clima est, la-

bor, quem terra exposcit, comparate ad producta pro nihilo reputari potest. Sol parcam secus naturam cogit ad prodigalitem; cogit ipsa saxa in littore maris a Barcelona usque Malagam ad producendos botros, et paludes Valenciae ad procreandam orisam, integros pagos cingunt, et tegunt silvae, et luci Aurantium. Provinciae intraregnanae infinitis habitantur ferarum gregibus, et Oceanus, qui regnum ex tribus partibus allambit, est aeternum promptuarium infinitae varietatis alimentorum. In Hispania etiam glandes sunt usui hominum, et in Castilia vescuntur Mulsiliqua Joannis, quae in Germania saepe mensas majorum ornat.

Haec mixtura, ex qua Plasmator hominum Hispanum composuit; sortis beatitudo, quam eidem in terra assignavit, occupat illum multum domesticis, et avocatur ab externis, puta; ab laboribus, curis, calamitatibus, sequaciter etiam ab artibus, et audaci pontium arcuatorum structura, per quos minus a natura dotati mortales sub curiori climate mortalem suam peregrinationem lenire, asperamque peregrinationis suae mortalis viam planam reddere student. Haec, et heroicum Caroli Magni saeculum, spiritum ambitionis Hispanorum in eam abripuit magicam opinionem, se in sublimiori, quam alii mortales, perfectiorique stare humanae existentiae gradu, esseque Nationem a Deo delectam. Haec fides inest cuivis Hispano, et in uno clarius, in altero lenius titillat conscientia de innata sibi nobilitate terrestri, quae opinio ipsum velut Hispanum ornat. Ab trono usque ad gasulam ultimi carbonarii, prudentissimus, sicut hebetissimus, nominat se, totumque populum pari cum sui convictione interna — *Nobles Espanoles*.

Si in Andalusia Praedo, more Principis Tartariae equo instructus, et cingulo, pistoletis vallato munitus Victori marsupium extorsit, interrogans, quo nam proficisceretur? medietatem, saepius etiam duas tertias rapinae eidem reddidit, elata fronte dicens: — *Ego sum Hispanus*. „Aquator, et Asinarius saepe certant integris horis, et ob decentiam, et sui ipsius existimationem in quavis periodo audias?” *Si senior et No sanor*. Tale est regnum, talis Natio, quae nunc nostrum Protectorem, adeoque et nos fortiores reddit. Ab omni adgressione liberi, habebimus longam, et forte pacem aeternam in Continente. Tunc credibunt, chare Commilito! antiqua tempora, ubi copiae contingentes 30 et ultra annis domi vitam duxerant otiosam — Quid praeterea in Hispania factum sit, legas in sequentibus.

Madridi 6. Junii: Prodivit 4. hujus Decretum Regium, quod omnes naves, quae in portibus Hispaniae sunt, reparari, armarique jubet, per quod millia operariorum me-

rendi
rolier
quae
aptas
Exerc
Barce
one r
Praet
tanun
Soco
miser
cujus
huic
non s
hanc
latio
gratia
statio
centi
Madri
Regen
advoc
rasit:
qui M
omnen
rent,
cem tu
sancta
iidem
in pop
spiritu
F
Arabic
ses ear
midiur
huc ad
articu
vitas A
rissima
vection
in ehe
nullibi
bitoria
uialibu
nnt, et
quae s
ticum p

rendi occasionem accipiunt; hinc in portibus gaditano, feroliensi, et cartaginensi fervent operae, aliis antiquas naves, quae adhuc usui aptae sunt, reparantibus, aliis nulli usui aptas confringentibus, aliis denique novas exstruentibus. Exercitus gallicus, Duce Generale *Duham*, qui in, et circa Barcelonam jacet, dedit ad collectam pro miseris, occasione merendi destitutis per cives institutam 28,000 Realium. Praetor excubitoriae classis anglicanae ante portum gaditanum, Commendantem Portus Generalem Marchionem *Socorra* corrumpere volens, eidem hoc sine propositione miserat, cui idem reposuit: Patria mea habet gubernium, cujus confidentia me illa, quam habeo, ornavit potestate, huic ergo velit sua Dominatio suas mittere oblationes. Ego non sum vir vaenalis. Non assequor, quid suae Dominationi hanc indere potuerit temeritatem, ut mihi similes faciat oblationes, spero, has amplius non renovaturam. Caeterum gratias refero suae Dominationi pro honorifica descriptione stationis, quam pro me destinatam esse dicit, et cum decenti honore maneo etc. Ex variis, quas M. Dux Montanus Madriti facit, dispositionibus adparet, novum Hispaniae Regem propediem eorsum adventurum. Idem Magnus Dux, advocatis ad se ordinum Religiosorum superioribus, declaravit: Haud bonam de se praeberet opinionem, quod illi, qui Ministri, et Praedicatores pacis vi Institutionis sui esse, omnemque metum circa religionem populo eximere deberent, ipsi primi essent, qui tumultuariis inspirationibus pacem turbare, populumque ad devia deflectere conarentur; sancta haec objurgatio tantam facerat impressionem, ut iidem Rectores jam ab hoc tempore varia salutaria scripta in populo vulgaverint, quae in genuino novae mutationis spiritu procusa sunt.

Parisiis: Nuperrime decidit repente pretium fabarum Arabicarum, et Sachari, cujus rationem litterae Parisienses eam assignant, quod numerus Caffaeopiarum ultra dimidium decreverit, pro altera vero medietate sufficiens adhuc ad plures annos adsit quantitas; ergo speculantes in hoc articulo habent adhuc diutius patentem lucri campum. Civitas Antverpiensis contra praevaricatores teloniorum severissima constituit, qui, contemptis dispositionibus circa invectionem mercium anglicanarum, clancularie tales merces invehebant. Jam stigmata gerunt fronte hi praesumptuosi, et nullibi speluncam, in qua lateant, invenient. Licet procuratoriae Anglorum naves maria tegant, plures tamen colonialibus mercibus oneratae naves eorum vigilantiam effugant, et in portus Continentis evadunt. Classes Anglorum, quae sub praetextu auxilii, Svecis ferendi, ad mare balticum penetrarunt, militum loco mercibus colonialibus sunt

oneratae; sed quorsum cum his mercibus? — Haec res magnam apud speculantes facit impressionem, apud Politicos autem — Sensationem. — Ministerium bellicum in Gallia emisit Decretum, ut praesidiaria militia in civitatibus diebus Dominicis, et festis nationalibus in ecclesia parochiali Sacro intersit, ideo praecipitur, ut statuta hora Sacrum pro militia celebretur.

Bellum ad Septemtrionem: Bellum a Danis felicibus geritur avibus; quod probat, quid Dania posset, si adhuc classes suas haberet. Die 9. Junii solvit Anglo Svecica classis 80 circiter velorum, volens ad mare balticum penetrare, quam Capitaneus Danicus *Krüger* cum classicula sua adgressus, conserto praelio, quod 4 horis duravit, 12 naves occupavit; similem praedam fecit etiam alter Capitaneus 3. Junii, qui 14 naves occupavit. In Norvegia pari pugnant Dani fortuna, qui Svecos a finibus suis repulerunt, et stant jam in territorio Svecico; Licet potens sit classis anglica in mari baltico, nihil tamen adhuc alicujus momenti tentavit; probabilius scopus ejus principalis commercium est, non autem Svecis auxiliari.

In Helvetia nuper acceperat sanctionem nova lex circa Judaeos, quae sequentia disponit: Nulla, per Judaeum quemdam extradata obligatio, aut aliud quodpiam in forma cambii extradatum Instrumentum, habet vim obligantem, nisi cum consubscriptione duorum testium, nempe unius e proximioribus Consanguineis, alterius autem Praefecti Polliciae. Juxta hanc formalitatem debent etiam omnes veteres eorum obligationes usque festum Michaelis 1808 sub poena nullitatis instrui — Sub poena relegationis ex tota Helvetia vetitum est Judaeis famulis, ancillisque ad pignora pecunias dare, imo nec aliis Civibus, nisi sub praedicta formalitate, nempe coram duobus testibus — Nulli Judaeo integrum est in publicis nundinis cornuta pecora vendere, emptio tamen eis admissa est.

Monachii: Rex Bavariae ad consiliandam Instituto Postarum majorem uniformitatem, et reguluritatem, organicum illud Edictum, quod 14. Febr. 1806 emanavit, sustulit, et praemisso cum Principe Thurn, et Taxis eatenus Tractatu, qui ex Constitutione Regni omnes praerogativas, cum supremi Postarum magistri munere conjunctas retinet, ipse Rex administrationem Rei Postalis in se assumpsit. Directionem hujus Instituti habebit Directio Generalis Postarum, quae cum Ministerio Rerum Externarum in immediata stabit connexionem, quae Directio constabit uno Generali Postarum Directore, Duobus Consiliariis postalibus, et tribus Assessoribus, 2 Secretariis, 4. Revisoribus, 1. Cassae Perceptore, 1. Protocollista, 1. Registratore, et 1. Adjuncto, 1. Tabellista, 2. Cancellistis, et 1. Cancellariae famulo.

Quis s

S
mniun
est the
mniun
h s qu
charun
colora
reliqua
bere fo
pa? —
dum o
Irokes
nam o
exteris
gata;
reconc
produ
secus
lorum,
dimidi
vocato
cidet a
mercia
ampiu
lenti,
aut qu
manet
in Chin
suae,
stomac
in se ip
omnia
et leta